





G.27.num.9.

1778, 3

12

4  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
EO QVOD IVRIS EST CIRCA  
FICTAM POSSESSIONEM  
MAXIME QVOAD REI VINDICATIONEM ET  
HEREDITATIS PETITIONEM

QVAM  
SVB AVSPICIIS REGIIS

CONSENTIENTE

ILLVSTRI ICTORVM ORDINE

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

DIE XXVIII. FEBRVARII CIJ IOCC LXXVIII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES HENRICVS CHRISTIANVS ERXLEBEN

QVEDLINBURGENSIS

NOTARIVS CAESAREVS PVBLICVS ET ADVOCATVS IN SMMQ.  
APPELLATIONVM QVOD CELLIS VIGET TRIBVNALI  
IMMATRICVLATVS.

GOTTINGAE,

Litteris IOH. CHRIST. DIETERICH  
ACAD. TYPOGR.



DIALECTATIO INAGARIA

10

IO COV IARIS HAT GREGA

LICET MA FOSSEZIOMIN

MILITAE AVOCADO ETI AYD GATONIN ET  
HISTORIAS TALIUS

11

SAB VASPICII REBIS

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

VIRIS ILLVSTRISSIMIS  
AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS PRINCIPIS ELECTORIS  
BRVNSVICO - LVNEBVRG.

CONSILIO SANCTIORI  
ELECTORATVS BRVNSVICO LVNEBVRGICI TERRIS  
REGVNDIS

AD SCRIP TIS  
DOMINIS MEIS INDVLGENTISSIONIS  
ILLVSTRISSIMO DOMINO

ALBERTO FRIDERICO DE LENTHE  
PRAESIDI COLLEGII FISCO REG. CVRANDO

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DETLEVO ALEXANDRO  
DE WENCKSTERN

ILLVSTRISSIMO DOMINO

BENEDICTO BREMER  
ILLVSTRISSIMO DOMINO

LVDOVICO EBERHARDO  
L. B. DE GEMMINGEN

MAGNO PER DVCATVM CELLENSEM ADVOCATO

ILLVSTRISSIMO DOMINO

IOANNI FRIDERICO CAROLO  
DE ALVENSLEBEN

ILLVSTRISSIMO DOMINO

ERNESTO AVGVSTO GVIELMO  
VON DEM BVSSCHE

PRAESIDI CONSISTORII REBV S ECCLES. SVPREMI

HOC QVALECVNQVE STVDIORVM SVORVM

SPECIMEN IN AVGVRALE

EA QVA FIERI POTEST REVERENTIA

C O N S E C R A T

A V C T O R.

# CONSPECTVS.

## Proœmium.

- §. I. Instituti ratio.
- §. II. Speciminis huius ad praxin relatio.
- §. III. Modus quo elaboratum hoc specimen.
- §. IV. Notitia litteraria.

## Caput Primum. Sistens notionem ficti Possessoris.

### Membrum Primum. De ficto possesso in genere.

- §. I. De natura Fictionum in genere.
- §. II. Fundamentum fictae possessionis est dolus.
- §. III. Non in fictione sed immediata legis nititur dispositione.
- §. IV. Quae etiam in iure naturae fundata.
- §. V. Ratio cur nomen fictae possessionis retentum.
- §. VI. Transgressus ad sequens membrum.

### Membrum Secundum. De eo qui liti se obtulit.

- §. I. Definitio oblationis ad item.
- §. II. Definitio Icti celeberrimi Hombergk zu Vach.
- §. III. In quibus actionibus oblatio ad item locum habeat.
- §. IV. Leges quae permittunt contra eum qui Liti se obtulit  
agere.

C O N S P E C T U S.

§. V. Singula requisita oblationis ad item in actionibus rea-  
libus.

§. VI. Continuatio.

§. VII. Modus quo sit oblatio ad item.

§. VIII. Necesse est ut actor ignoret reum non possidere.

§. IX. Quando effectum habeat oblatio ad item.

*Membrum Tertium. De eo qui desit possidere.*

§. I. Quomodo is qui desit possidere sit convenientius,

§. II. Probationes ex legibus.

§. III. Doctrina communis refutatur.

§. IV. De modo quo possidere quis desit.

§. V. Quid obtinet si plures possidere desierunt.

§. VI. Cessat actio contra fictum possessorum ubi verus para-  
tus est ad iudicium suscipiendum.

§. VII. Aut ubi res iam praestita est.

§. VIII. Non autem si actor sciuerit alterum non possidere.

*Caput Secundum. De iuribus contra fictum possesso-  
rem competentibus.*

§. I. Idem obtinet contra eum qui liti se obtulit, quam con-  
tra eum qui desit possidere.

§. II. Diversae Doctorum sententiae super obiecto condemna-  
tionis.

§. III. Quod duplex est.

§. IV. De restitutione fructuum.

§. V. De modo quantitatem restituendam, determinandi.

§. VI. De obligatione rei, ad actiones suas contra tertium  
actori cedendas.

§. VII. De condemnatione plurium qui possidere desierunt.

§. VIII.

C O N S P E C T U S.

- §. VIII. Fictus possessor liberatur si iudicio accepto, verus rem restituere paratus.  
§. IX. Fictus possessor, rem aut interesse non autem poenam soluit.  
§. X. De obligatione heredum.

*Caput Tertium. De iuribus contra possessorem verum competentibus.*

*Membrum Primum. De iure quod ficto possessori excusso, contra verum rei possessorem competit.*

- §. I. Principia generalia.  
§. II. Ficto possessori qui ob dolum praeteritum condemnatus est, actiones a domino sunt cedendae.  
§. III. Non autem si ex dolo praesenti est condemnatus.  
§. IV. Explicatur l. 12. ff. de re iudicata.  
§. V. Remouetur dubium.  
§. VI. Reus proprio nomine actionem contra verum mouere potest possessorem.  
§. VII. Explicatur l. 70. ff. de Rei vind.

*Membrum Secundum. De iure quod actori ficto possesso re excusso, contra verum possessorum competit.*

- §. I. Opinio Istororum, aestimatione a ficto possessore praefita, verum ad rem restituentiam conueniri posse, recensetur.  
§. II. Ius naturae et analogia quoad hanc quaestionem.  
§. III. Verus possessor non potest conueniri ubi pretium dominus accepit.  
§. IV. Argumentum confirmatorium ex l. 46. ff. de Rei Vind.

§. V.

C O N S P E C T U S .

- §. V. Aliud eiusdem argumenti.  
§. VI. Casus qui in Iure romano, eodem modo deciduntur.  
§. VII. Ante executionem sicuti possessoris domino electio competit, malitiae contra verum agere.  
§. VIII. Argumenta quae dubium afferre possunt; contra hanc doctrinam.  
§. IX. Leges explicantur L. 13. §. 14. ff. de Hered. Petit. L. 7. ff. de Rei Vind. et L. 95. §. 9. ff. de solutionib. ex quibus Doctores contrarium evincere student.  
§. X. Conclusio huius capituli.

Caput Quartum. De Vsu hodierno materiae de facta possessione.

- §. I. Iuris romani usus evincitur.  
§. II. Dubia contra illud refelluntur.  
§. III. Rebus iudicatis confirmatur.

PRO-

---

## PROOEMIVM.

### §. I.

**N**ullam fere a lctorum diffensu liberam extitisse iuris doctrinam, et iis qui vel prima huius scientiae primordia percepta habent, non ignotum esse, mihi videtur. Manant exinde opinione Doctorum, manat varietas in explicatione iuris, quae cum illud ipsum nullius plane dubitationis obiectum esse potest, merito his prosperis, splendescitibus scientiarum lumine temporibus ignota omnibus esse deberet. Quum vero res aliter se habet, is sane optimo vtitur consilio, qui priusquam in hanc illumue cadat Doctorum sententiam, rem populari trutina, artificisque statera examinat, animumque mentemque adhibet, num illis fortasse aliquid inhaereat, quod vel veris principiis repugnet, vel ex obscuro corruptoue fonte suam hauriat originem. His a primis studiorum cunabulis imbutus principiis, animum identidem ad explicationem applicationemque praesentis materiae, cuius in decidendis quaestionibus celeberrimos lctos longe interesse differre videmus, adhibui. Multa quidem possem de propria ipsius dignitate enarrare, multa de vario ipsius in foro adducere vsu; multaque alia in laudem thematis huius proferre. Sed

A

longe

longe absit a me praeconis officium. Hoc vnum fas sit adiungere; quod, cum argumento huic, primitias studiorum ausus fuerim dicare, nulla grauior in me incubuerit solicitude, quam rem ex legibus ipsis componere. In his euoluendis occupatus, varia non leuis momenti, mihi occurrerunt παραδοξα, quae si arrestus non adhibetur animus dubitationem facile vnicuique, scrupulumque iniicere possint, ac si res ipsae aut verba legum in controuersiam venirent. Sed cum perspicuum mihi erat, nihil vnam naturae conueniens, magisque rationis legibus consentaneum esse; quam adstrictos et in semetipso implicatos nodos, nisi quis praeserat methodum Alexandri herois, eodem quo constricti fuerint modo, resoluere, in reconciliatione, quae fibi inuicem obstat videbantur legum, cum non fucatis innixa principiis analogia, omne studium, curamque omnem ponere non haesitauit.

## §. II.

An vero singula a me asserta praxi conueniant? de eo ipse practicus dubitauerim. Sed etiam de variis aliis iuris positionibus hoc dubium afferre licet. Nonne enim videmus frequenter, vnum idemque magistrum, de re eadem in scholis alia docere axiomata, et theorematum, alias in praxi obseruare regulas? nonne saepe animaduertimus fori vsum a recto legum tramite discedere? Horum dissensuum pro parte auctores sunt inueterata quedam consuetudo, (quam vt veram validamque dicam longe a me absit,) pro parte non raro claudicantes Doctorum opiniones, quas Themidis faderotes saepius quam fontes ipsos sequi videmus.

Et

Et multis sane longe facilius est, compendium, aut commentariolum quemdam adire, quam ipsos, non sine studio perlustrare fontes, eorumque saepe latitantes recessus perscrutari.

§. III.

Veritatis studium, quod in iurisprudentia, vtramque facit paginam, semper in hoc specimine ante oculos habui; eo magis hoc necessarium putans, quia plurimum super hoc themate Doctorum sententiae, sedulo comparandae, et legum verus sensus eruendus erat. Veritas semper a quo etiam proficiscatur, grata fuit. Sed toto errant coelo, qui perlefit hisce lineis me unum ex illis esse, de quibus Virgilius canit:

*Possunt, quia posse videntur,*

fortasse iudicabunt. Humanam naturam in errorem procluem esse, afferere non dubitauit sapientissimus quidam veterum philosophorum, cuius vestigiis inhaerere bonis omnibus viris rectisque, prae aliis autem omni incumbit iurisprudentiae cultori. Haec que ipsa debilitatis humanae notitia illuc me perduxit, ut acerbissimo' me ipsum persequerer odio si coetui illorum, qui nunquam aut raro, persuaderi possunt, ut semel defensam, derelinquant opinionem, adnumumerari promererem.

Gratus mihi erit acceptusque, qui quando titubauerim me fulcire non dignabitur, amicorum numero adscribi dignissimus, qui me errore exsoluet, ipsiusque meum praeterea feret punctum sententia.

A 2

§. IV.

## §. IV.

Ad notitiam litterariam quod attinet, monendum adhuc est;  
pauca exstant scripta singularia, quae thema tractent propositum.

Habuit IOH. HELDT Dissert. De eo qui desit possidere. Al-  
torsii 1671.

Item Marburgi a. 1746. sub Praesidio AEMIL. LVD. HOM-  
BERGK zu Vach disputatum est: de oblatione ad item.

Nouiter Praefide ADAMO IGNAT. TVRIN Erfordiae 1774.  
Differuit IOH. ADAM BIRNICH: De sicto posseffore.

Quod scriptum qui euoluit, mox perspiciet, materiam ex-  
haustam nondum esse; nec semper quoque autoris sententiam  
equidem amplesterer.

Commentatores ad Digesta, tantum non omnes hanc ma-  
teriam sicco pede transfeunt, certe non satis illustrant. Ex his  
prae caeteris placuerunt, quae habet HVBER praelectionib. ad  
Digest. Tit. de hereditatis petitione §. 6. seq. et Tit. de Rei  
Vind. §. V.

Hicce iam praemissis ad ipsius thematis explicationem pro-  
gredior.

CA-

J. J. G. 242

---

CAPVT PRIMVM  
SISTENS  
NOTIONEM FICTI POSSESSORIS.

MEMBRVM I.

*De ficto possessore in genere.*

§. I.

**O**rdo naturalis, quem nunquam non in omni scientiarum genere sequi et obseruare debemus, me admonet, ut pro instituti ratione, pauca de ficto possessore in genere differam. Qui enim sint veri possessores in legibus dicti, me etiam non monente, omnis sane lector perspiciet.

Nec minus inter omnes nota est res, Romanos saepe fictionibus visos fuisse; de quibus, antequam quis sit fictus possessor explicari queat, paucis agendum videtur (*a*). Cum Iurisprudentia secundum L. i. ff. de Iustit. et Iure sit vera non simulata philosophia, omnes ex illa fictiones prorsus exstirpandae videntur. Sed falsa est res. Fictiones sic dictae nihil sunt, nisi dispositiones iuris, per quas nodi et dubia ex legum subtilitate oriunda soluuntur. Sunt vt Alteserra loquitur: *colores quibus veritas fucata non corrumptitur, sed potius illuminatur* (*b*).

A 3

Origo

*a)* Materia de fictionibus iuris ex instituto tractari hoc loco nequirit; plura qui scire cipiunt, consulant inter alia, ANTONII DADINI ALTESERRAE *tractatum de fictionibus*. Qui liber varie editus et a. 1769. cum praefatione IOH. ERIED. EISENHARDT ornatus, in lucem prodit.

*b)* Differentias inter fictiones iuris et simulationes, tractat ALTESERRA, in laudato tractatu de *Fictionibus*, Tract. I, c.v. p. m. 12. (Parisii 1659)

Origo tantum non omnium fictionum Praetoribus debetur, quibus cum potestas noui juris condendi non competenteret, aliquid factum esse, quod tamen nullo modo factum est, fingebar; exinde autem nouae deductae conclusiones, quae cum legibus antea latis, optime conspirarent.

Sed negari vix potest, fictionem tunc legis vim ac valorem nam fuisse, cum illi apud quos leges ferendi erat potestas, in ea acquiescerent. Sic ut exemplo vtar, pater et filius pro una reputantur persona. Sic captus ab hoste, si ibi decessit, singitur mortuus, primo capituli momento (c).

### §. II.

Iam nunc videamus, quis sit fictus possessor? num in hac etiam denominatione lateat talis fictio, quam in antecedentibus attigimus.

Nomen *ficti possessoris* in legibus vix occurrit; hoc modo loquuntur: esse personas quae *quasi possidentes* conueniri possint, ea ex ratione, quia vti lex 131. ff. de reg. Iur. loquitur, *dolus pro possessione est*. Et semper inquit VLPIANVS in L. 157. §. 1. ff. de Reg. Iur. *qui dolo facit minus haberet, pro eo habendus est, ac si habeat*. Totum itaque fundamentum cur quis licet non possideat, tanquam possessor conueniri potest, in *dolo est* ponendum; qui quidem duplici modo adesse potest. Is neimpe qui possessionem iam habuit, vel dolose se abdicat ea ad alterum circumueniendum; vel is qui numquam possessor fuit, ex eadem causa

(c) Sunt Doctores non iustini ordinis, qui fictiones legum ex sede sua, per longissimi temporis praescriptionem firmata depellere student. Inter quos, omnino referendus est, GERH. GOTTL. TITIVS (Professor Acad. Lips.) In Dissertat. de Fictionum romanarum natura et inconcinnitate. Lips. 1694, cuius deinde summa capita repetit in iure priuato Libr. 1. c. 9. p. 92. seqq.

causa iactatur, se omnino rem quaestio[n]is possidere. In utroque casu, de quibus mox sigillatim dicendum, dolus pro possessione habetur; sic vt in poenam doli eodem modo conueniri possit, quam si reue-  
ra possideret.

## §. III.

Ex his itaque apparet, non latere in proposito iuris articulo eam fictionem, quam Praetores in edictis suis adhibuerunt, ad nonas occulta[n]tas constitutiones, adque ius strictum subuertendum. Immediata potius adest legum dispositio; nullo fictionis colore in medium vocato, clara et distincta voce iubent: *Dolum* pro possessione esse habendum. Immo quod magis est Senatus consultum ipsum cuius et verba in L. 20. §. 6. etc. de Hered. Petit. d) referuntur, haec principia expresse adop[t]at, sic vt nemini dubium superesse queat. Quis autem non animad-vertit, Senatus consultum fictionibus plane non indigere, sed directe illud disponere potuisse! Fictione definiente Alteserra in alleg. libro tract. i. c. 1. est *constitutio iuris, qua fingitur id contigissimum, quod minime conti-*  
*git; vel id non evenisse, quod re evenit.*

Sed in eo qui desit possidere in eoue qui liti se obtulit nil possum, si leges inspicio, animaduertere, quod contigisse fingitur, quamuis non contingat; nil itaque adest quod fictionem sapiat; nil quod imaginem eius praefera. Negant legum sanctiones adesse possessionem, sed eodem momento affirmant; *dolum* possessionis loco habendum esse. Et hac semel admissa ratiocinatione non possunt non eadem prorsus re-

me-

d) Rationem cur in limine *Stii* quatuor occurru[n]t consules, suppeditat GERN.  
NOODT in Comment. ad Digesta tit. de heredit. Petit. p. 146. (edit. d. a.  
1732. Colon. Agrip.). Duo nempe erant ordinarii, duo suffici.

media contra dolosum admittere, quae alias in eum finem comparata erant, ut rem nostram, a possidente obtinere queamus e).

#### §. IV.

Iam vidimus haec tenus, rationem vnicam cur is qui desit possidere, aut is qui liti se obtulit, tanquam possessor conueniri possit, in dolo eius esse ponendam. Restat ut paulo accuratius perpendamus, quo iure, quibus legibus hoc ita sit constitutum f).

Nemini quidem ignotum esse potest, Quiritium hoc deberi legibus; sed nec utilitate carebit, et remotiores adire fontes, atque ex his colligere, in quantum, ius positivum, iuri naturali, iisque sempiterno conuiciat. Magnam enim legum minister percipiet laetitiam, vbi illud, huic accurate respondere animaduertit, vbi *ius positivum licet naturali non per omnia inferuiat, neque tamen ab eo in totum recedit: ita ut addendo aliquid vel detrahendo iuri communi, ius civile efficiatur.* Quod de omnibus ut afferere possimus legibus, inter pia vota est referendum.

Secundum iuris naturalis placita, nemini dolus prodesse debet suus; nec unquam aliquis tenetur damnum sentire, quod ob dolum incurrit

e) Alteferra ipse, haec licet falsa ex ratione sentire videtur, dum tractat. 4. c. 13, regulariter inquit *possessio quia est facti non iuris, non admittit fictionem.* Nihilominus autem sic postea pergit: *Tamen utilitatis causa obtinuit possessionis naturam inflexi, ita ut fictiones recipiat.* Vindicatio seu actio in rem univerсалis vel particularis non datur aduersus alium quam possessorem, vel eum qui fictione legis, pro possessore habetur. Quae omnia satis indicant, auctorem confusas tantum factae possessionis habuisse ideas, quae a principiis ab ipso fruatis multum aberant.

f) In multis infra proponendis quaestionibus omnino refert, accurate scire, quid veniat ex iure naturali, quid ex iure positivo.

currit alterius. Oritur exinde regula aequitati quam maxime consonantia, totiesque repetita: *resarcendum est damnum dolo datum.*

Quodsi itaque alter eo fine, rem meam, ex possessione dimittit sua, ut damno afficiar, secundum ius naturae aequa erit, petitio mea de damno reparando. Quo autem modo, quanam via et ordine haec omnia procedant, non tam accurate in iure naturali determinari potest; relictum hocce legibus positius videtur.

Regula ergo fundata est in iure naturae, inque aequitate; regulae autem interpretationes, et determinationes speciales, ex iure positivo cuiusque ciuitatis addiscendae sunt g).

### §. V.

Cum operam dedissem, vt demonstrarem, non subesse in hac materia fictionem proprie sic dictam, forsan reprehendendus videor, qui ipse non solum in rubro commentationis, sed etiam in tractatione ipsa, nomine *possessionis fictae* vhus simq. Sed excusabit, qui recordari vult, me in hac denominatione moribus et genio saeculi aliquid deditte h). Verbum *possessionis fictae* generaliter est receptum; sic vt nihil aut parum

pro-

g) Conspicat mecum GYNDLING in Diss. de Rei Vindicatione (exstat in eius operibus Halea 1736. editis, nro. 17.) cap. 2. §. 22. cuius tantum non omnia mea facere non dubitauerim. Eogne fictus, inquit possessor, hic erit possessor, turis sensu. Cuius? ciuilis an naturalis et sempiterni? ac non dicitur, possumum mihi sedere ac placere. Est enim rationi congruum utique, nemini sum prodefere dolim debere, nec alteri nocere. Ergo quem dolo definit possidere nil facit, ant saltem factum huinsmodi -nullo iure sufficietur: sed nullum videtur omnino. Si vero nullum est, possesso ab eo non abiit, qui fraudem admittit, sed penes ipsum manet etc.

b) Idem ante me, ex iisdem fecit rationibus, GYNDLING in Dissertat. laudata §. 22. vbi sic ait: Et putem nihil hic proprio occurrere, quod possit appellari

B

fictum:

proficeret, qui ex longa possessione vel quasi, id deicere velle. Nec video quid incommodi afferat haec denominatio? Si modo non adeat, qui fictiones eas sibi representat, quae apud veteres praetorum sapientiae adscribuntur. Melius hoc putavi quam nouas voculas, nouosque terminos inconsuetos proferre; quo facto certe non laudabili, studium iuris magis aggrauatur quam promouetur.

### §. VI.

Quum duae sint species fictae possessionis, eius nempe qui liti se obtulit et eius qui desit possidere, in membro sequenti iam videamus de illo qui liti sese obtulit.

## MEMBRVM II.

*De eo qui liti se obtulit.*

### §. I.

**O**blatio ad litem in genere est actus quo quis se esse legitimum reum in aliqua causa contendit, cum sciat se talem non esse.

Posita hac definitione, quam virorum doctorum examini subiectio, sponte sequitur, eum non esse pro ficto possessore habendum, qui reum se profitetur, cum ipse persuasum id habeat; nam is certe in errore aut vincibili aut inuincibili haeret, omnis autem error dolum seu propositum nocendi excludit, qui tamen in omni litis oblatione ut adsit necesse est. Ex allata definitione porro appetat; actoris nunquam esse liti se offerre. Alia vtuntur leges denominatione, si quis legitimum

acto-

fictum: et si neuterici hoc loco vocula FICTI vtuntur et nos quoque idioma eorum senti, hanc temere sumus usi, fictum possidorem appellantem, qui desit possidere dolo - - - .

actorem se fingit, dum talis non est, et appellant eum temerarium litigatorem, i) quod factum legibus aduersum, condemnatione in expensas litis, plerumque vindicatur.

## §. II.

In definieuda oblatione ad litem interpretes varie dissentire, multaque operam in eo collocare videmus.

Vnum exempli loco adferre licet Viri summi HOMBERG ZV VACH in Diff. de oblatione ad litem §. 1. 6 et 7. Secundum quem is dicitur liti se offerre, qui periculum litis, cuius molestias euitare poterat, tanquam reus sponte suscipit. Quam definitionem in omnibus ut meam faciam a me impetrare non possum. Ingreditur nempe illam effectus, cum tamen vti mox videbimus oblatio ad litem etiam sine effectu cogitari possit; nec semper quoque, vt reus sponte molestias litis in se suscipiat necesse est. Persaepe inuitus molestias subit, cum propter oblationem suam semel factam, omnem litis euentum in se suscipere teneatur.

## §. III.

Cum quis non solum in actionibus realibus sed et personalibus, esse legitimum reum fingere queat, sponte sequitur, oblationem ad litem, tam in iudicis realibus quam personalibus locum habere. Actionum in rem scriptarum porro natura, cum sic comparata sit, ut ex personalibus et realibus aliquid participant, facile est ad dijudicandum, in hoc effectu etiam illas conuenire.

B 2

In-

i) Negotia cum oblatione ad litem haud commiscenda tractat HOMBERG ZV VACH  
Diff. de oblatione ad litem §. 2. 3. 4. Sic e. g. calumniatores, accusatores,  
procuratores in rem suam etc, liti nullo modo se offerunt.

Institutum quidem non patitur haec omnia late prosequi et multis verbis deducere, quia thema propositum de facta possessione maxime quoad rei vindicationem et hereditatis petitionem agit; sed tamen licet quasdam per transitum adducere leges, quae usum oblationum ad item in aliis etiam actionibus evincunt.

Sic de noxalibus actionibus, quarum natura nemini latet id affirmatur in L. 39. §. 1. de noxalib. actionib. L. 8. ff. de interrogationib. in iure faciend. Nec minus de confessoria actione id compertum habemus ex l. 6. ff. ususfruct. petat. De personalibus actionibus denique non sine fructu legi potest HOMBERG ZV VACH l. c. §. 30.

#### §. IV.

Si leges, per quas constitutum est, vt qui liti se obtulit habeatur pro posseffore, quaerimus, collectio Iustinianea larga manu illas praebere potest. Sic enim habet L. 13. §. 13. etc. de hered petit. *Non solum autem ab eo hereditas peti potest, qui corpus hereditarium possidet, sed etiam si nihil.* Et videndum si non possidens abtulit tamen se petitioni, an teneatur? Et Celsus libro quarto digestorum scribit, ex dolo eum teneri; dolo enim facere cum qui se offert petitioni, quam sententiam generaliter Marcellus apud Julianum probat: *Omnem qui offert se petitioni, quasi possidentem teneri.*

Idem sere tantum non repetitum est in L. 45. ff. de hered. petit. L. 25. ff. de Rei Vind. In omnibus autem animaduertere possumus, ad dolum semper esse respiciendum, nec sine illo oblationem ad item cogitari posse; et si rationem earum species, nullum est dubium, quin definitio in §. 1. huius membra allata, apprime illis conueniat.

#### §. V.

## §. V.

Re ipsa generatim cognita iam singula percurramus oblationis ad item puncta; cumque de facta possessione quoad rei vindicationem et hereditatis petitionem tantum agimus <sup>b)</sup> hae autem quippe iudicia realia, contra possefforem solum institui queant, ille considerandus est causus, ubi quis posseffionem iactauerit; hoc enim modo in his se esse legitimum reum, aliquis singere potest.

Primum itaque requisitum nostrae oblationis ad item, est iactatio possessionis. Euincunt id non solum leges in §. antecedente allegatae sed plures adhuc aliae, e. c. L. 27. ff. de Rei Vindicat. Illud parum resert, quonam loco, in iudicio aut extra iudicium, haec iactatio sit facta. Nam quamvis extra iudicium alter gloriatus sit, se possidere rem, quam actor vindicare intendit, tamen hic damnum ob dolum eius incurret; quoties itaque adeo ratio iuris, toties et eadem obtinere debet decisio <sup>b)</sup>.

## §. VI.

Quo autem tempore et quamdiu necessaria est iactatio possessionis, ut effectum habeat oblatio ad item? Responsio in promtu est.

Eo

<sup>a)</sup> Non temere sed legum auctoritate, has coniunxi actiones, Expresso enim in L. 27. §. 3. ff. de Rei Vind. assertur: cum in hereditatis petitione, quae et ipsa in rem est, dolus praeteritus fertur, non est absurdum per consequencias et in speciali in rem actione, dolum praeteritum deduci.

<sup>b)</sup> Non satis mirari possum GVNDLINGIVM in Diff. de Rei Vind. c. 2. §. 23. qui haec perfidie non videtur, cum in STRYKIVM eadem principia in Diff. de rei vindicatione §. 4. defendantem acri stylo inuehit, verbisque hisce duris viritur: nam hoc est contra L. 25. ff. de Rei Vind. Ergo introducit nonum, non romanum, non teutonicum, sed Strykianum ius. Non est contra legem 25. et quamvis gloriatio extra iudicium facta sit, tamen in illa perseverare et sic al-

litione in iudicium subvenire debet. <sup>B. 3</sup> terum

Eo nempe tempore quo alter reuera damnum ex tali oblatione passus est. Regulariter hoc cum litis contestatione coincidit, quia plurimum si ante litis contestationem dolus purgatur, actor damno affectus nondum est. Respicit hunc casum praecipue L. 25. ff. de Rei Vind. ---- sed hoc post item contestatam. Ceterum ante iudicium acceptum, non decipit auctorem, qui se negat possidere, cum vere non possideret; nec videtur se liti obtulisse, qui discessit. Tantum non omnes exinde contendunt Doctores, fictum possessorem ad item usque contestata in dolo perseuerare debere, interque exceptiones casus esse referendos, vbi non licet, ante Item contestatam dolum purgare suum. Melius autem credidi regulam sic struere, ne exceptionibus opus sit. Doli nempe tam diu permissa est purgatio, quandiu alter damnum non incurrit; hoc et ante item contestata quod adesse possit, satis ab aliis est demonstratum <sup>m)</sup>. Cum ergo leges scire, non est verba earum captare, sed vim ac rationem tenere; magis et hic *ratio* est sequenda, que in deceptione alterius consistit.

### §. VII.

Modum si spectas, non resert qua ratione aliquis gloriatus fuerit, si esse possessorem rei. Idem plane est an praecedat interrogatio actoris an sponte iactatio sit prolata. Nec minus ille profecto habendus est possessore, qui vel plane non responderet, vel tam ambigue, ut actor illum

terum decipere potest. Cogitandum quoque oblationem ad item et sine effectu cogitari posse; quod tunc accidit, vbi quis gloriatus se possidere, desit antea quam alter damnum incurrit.

<sup>m)</sup> Exemplum inter alia assert N O O D T Commentario ad Digesta tit. de Rei Vind. cat. p. 158. (edit. 1732. Col. Agric.) Aliquis voluit agere contra TITIVM bonae fidei possessorem, tu mendacio tuo fecisti ne aduersus eum ageretur; ita TITIVS impluit usucaptionem. Actor nocuit mendacium, et si tu ante L. C. mendacium corrigere velis. Quidni igitur sis damnandus, ei cui nocuisti?

illum pro possessore habere possit. Nam et silentium dolosum per quod alter damnum incurrit, inter prohibitas artes est referendum. Nullum denique est dubium, eodem numero habendum esse, qui contumax in respondendo facit, quod lis in poenam, aut pro negatue, aut pro affirmatiue contestata habeatur. Hoc tantum semper est perpendendum, an re vera tale factum praecesserit, ob quod daminum actor passus est; alias enim licebit desistere ab obligatione ad item.

### §. VIII.

Possit iam sana vnumquemque docere ratio, tunc demum aliquem tanquam fictum possessorem, esse conuenientum, vbi actor nesciuit mendacium eius. Sed idem quoque affirmant textus iuris, inter quos l. 25. ff. de Rei Vindicat. et L. 45. ff. de hered. fetit. vt caeteros taceam. Iterum enim cessat ratio legis, quae est fraus et deceptio, et locum habet, quod Paulus in l. 26. ff. de Rei Vindiçat. afferit: *nam si actor scit, tunc is non ab alio sed a se decipitur.*

Ad rei itaque pertinet exceptiones, quod actor sciverit se non possidere, quam plenarie probare tenetur L. 45. ff. de Hered. Petit. Sed quibus vti velit mediis probatoriois, non resert. Plerumque autem, cum actoris internus affectus probandus sit, qui raro per signa externa se prodit, recurrentum est, ad iuramenti delationem, quae et hic, vti recte BERGERVS in Oeconom. Iur. Lib. 2. T. 4. § 54. not. 5. monet, locum habere debet.

### §. IX.

Hactenus enarrata, si omnia concurrunt, tunc demum cum effectu actio institui potest, contra eum qui liti se obtulit; si autem aliud ex his deficit, vera quidem est litis oblatio, sed effectu caret, cefante

fante quippe naturali obligationis fundamento, quod in dolosa actoris deceptione consistit. Quomodo autem procedendum sit, contra litigium offerentem, et in quid condemnari possit, de eo in capite secundo videbimus, postquam in sequenti membro, alteram speciem, fictae possessionis considerauimus.

## MEMBRVM III.

*De eo qui desit possidere.*

## §. I.

Pro possessore conueniri non solum is potest, qui liti se obtulit, sed etiam qui desit possidere, diversa quamvis ratione. Res hoc fere modo se habet. Verus possessor ab initio rem vel bona vel mala fide tenuit. Si bonae fidei fuerit possessor, et desinit possidere, non teneatur, nisi dolose possessionem a se auertit, et alteri re vera nocuit, per dolum suum; quodsi autem ab initio malae fidei possessor, seu is qui bona inuidit aliena, quae scit ad se non pertinere, iterum amisit possessionem, et actori damnum exinde infert, tunc non solum ob dolum, sed et omnem ob culpam tenetur <sup>23</sup>); sic ut actor eodem modo conveniat fictum possessorem, si per culpatum, ac si per dolum desit possidere.

## §. II.

Non difficile erit, ex legibus haec omnia deducere.

Generaliter **VLPIANVS** in L. 13. §. 14. ff. de Heredit. Petuit. afficit, eum tamquam possessorem teneri, qui dolo amisit possessionem. Item vix necesse est ut moneam culpam latam secundum illud vulgare, dolo aequipari, cum de damni resarcitione agatur. Ob causam et ille tenebitur, qui ab initio fuit bonae fidei possessor, deinde autem per culpatum latam possidere desit. Hanc itaque cum de culpa loquimur, semper excludimus.

Item inquit si quis dolo fecerit quo minus possideat hereditatis petitione tenebitur. Cum autem non solum malae fidei possessor, sed et ille qui haec tenus bona fide in possessione fuerit, dolo eam negligere possit; nullum dubium esse potest, et bonae fidei possessorem tunc teneri, cum dolose definit possidere. Iam autem de altera specie audiamus iureconsultum sic loquentem L. 25. §. 2. ff. de Hered. Petit. quod ait Senatus: eos qui bona inuagissent quae scirent ad se non pertinere etiam si ante liten contestatau fecerint, quo minus possiderent, perinde, condemnandos quasi possiderent, ita intelligendum est, ut et dolus praeteritus in petitionem hereditatis deduceretur, sed et CULPA. Iterum credo verba legis sat clara, fusca interpretatione non indigere, ad perspicuum de malae fidei possessore tantummodo agi, cum assuritur ob culpam eum teneri. Quomodo nempe bonae fidei possessor esse potest, qui bona inuidit aliena, quae scit ad se non pertinere? Bonae fidei possessor quamdiu talis est, in re sua agit, male itaque faceret, qui ad resarcitionem culpae actionem institueret, cum in re sua culpam admittere, nullo iure prohibutum sit. o)

## §. III.

o) Forsan obiicies L. 19. §. 2. ff. de hered. Petit. quae omnino scrupulum mouere posset. Sic ait PAVLVS: Immo et si possessor sua culpa eas amiserit, tenebitur hoc nomine. Idemque erit in praedone, licet hic propter culpam non teneatur, quia nec hic debet has res retinere. Sed salua est res. Actio in hac lege non instituitur contra fidem possessorum; sed contra eum qui ex contractu obligatus erat; qui res per culpam amiserat, non ad hereditatem pertinentes, sed res alienas, quas sciebat esse, tantum depositas, commodatas, pignori datas etc. ratione carum omnino culpa praeflenda est, etiam a bonae fidei possessore; nam in suis rebus tantum negligenter versari licet, non autem in alienis. De actione reali itaque lex non agit, sed potius de actione ex contractu oriunda. Quis autem temere negabit, ex contractu, alterum esse obligatum, ad culpam praefrandam? Vnde miror HVERVM in praedictionibus ad Pand. cit. de Hered. Petit. §. 8. legem 19. §. 2. alleg. de eo casu intelligere, ubi

C

post

## §. III.

Oppido ergo falluntur Doctores qui communem sequuntur opinionem, rem hoc modo explicantem: *Duo sunt genera fictae possessionis; unum quod consistit oblatio ad item; alterum si quis dolo definit possidere.* Addendum fuisse et tertium genus eorum nempe, qui culpa defierunt possidere; coniuncti enim de hoc genere ex ultimis verbis L. 25. §. 2. in antecedente §pho relatis, iam sumus. Sed inquires forsitan, quomodo haec conueniant cum §pho III. nostrae Dissertationis cap. I. membr. I. in qua demonstratum est, fundamentum cur quis possit conveniri, non esse fictam possessionem sed dolum. Optime haec omnia cohaerent. Causa obligationis est dolus, nunquam sola culpa. Duplici autem modo dolus committi potest; et sic vel praeteritus vel praefens esse dicitur. Hic adeo ubi quis malae aut bonae fidei possessor, dolose definit possidere; ille praeteritus nempe, si malae fidei possessor, qui tum cum inuaderet bona aliena, omnino in *dolo* erat, nunc autem cum amittit possessionem, in *culpa* tantum versatur. Hoc in casu definitem possidere, proprio non conuenio, quia culpam commisit, sed quia illas res culpose definit possidere, quarum *antea* possessionem, dolose in se transtulerat p).

## §. IV.

post item contestatam, aut post condemnationem, culpa possidere definit. Contra prima principia haec est interpretatio. Nam post item contestatam etiam bonae fidei possessor incipit in mala esse fide L. 45. ff. de Rei Vind. Quid ergo necessarium fuisse, hunc speciatim exprimere casum?

p) Nolo repetere verba legis 25. §. 2. ff. de hered. Petit. in qua *doli praeteriti* expressa sit mentio; sed et aliae leges, eandem habent denominationem, idemque discrimen e. gr. L. 27. §. 3. ff. de Rei Vind. L. 20. §. 6. de Hered. Petit. L. 96. §. 9. ff. de Solut. et Liberat.

## §. IV.

Quo autem modo aliquis possessionem amiserit non refert. Sic non solum tenetur, si re vera desinit possidere, si in alterum transmutat rem, super qua actor instituit actionem; sed etiam tunc ubi ipse rem absunt singularem, ne amplius existat et vindicari queat. Immo qua possessor actione utili conueniri potest, si possessionem noluit admittere, L. 25. §. 8. ff. de Hered. Petit. Nam semper eadem adest ratio legis; dolus ex parte rei, et damnum ex parte actoris.

## §. V.

Idem plane obtinet, si non unus sed plures desierunt possidere. Omnes actori tenentur, secundum L. 25. §. 8. in f. ff. de Hered. Petit. Sed et si per multos ambulauerit possessio, omnes tenebuntur. Quia autem teneantur ratione, de eo hoc loco non est disputandum, cum infra suius haec materia tractanda venit.

## §. VI.

Necessere est, ut quaedam addamus tunc necessaria, ubi cum effectu rei vindicatio aut hereditatis petitio utilis, contra desinentem possidere, est instituenda. Denegant leges omnem contra factum possessorum actionem, si verus possessor ipse paratus est, item in se sufficiere et rem restituere. Clare hoc sancitum est in L. 13. §. 14. ff. de Hered. Petit. Secundum quam actor tenetur verum conuenire possessorum, ubi hic paratus est, ad iudicium suscipiendum; hoc unico tantum casu excepto, si ipsius tunc etiam interest, contra factum agere possessorum, e. c. si verus possessor difficilis esset conuentioonis. Magnum quoque pondus huic argumento accedit ex L. 95. §. 9. ff. de salut. et Liberat.

C 2

## §. VII.

## §. VII.

Ex hac tenus propositis consequitur, eo magis actionis auxilium denegari contra factum possessorem, vbi antequam hic est conuentus, res ipsa aut litis aestimatio a vero possessore est praeflita.

Omne tunc cessat interesse; omnis ratio contra factum possessorem concessae actionis; damnum nempe per dolum causatum. Ne autem aliquid intactum reliquise leges videantur, et hunc determinarunt casum specialem, in L. 95. §. 9. ff. de solut. et liberat.

## §. VIII.

Licet autem actor sciuerit, alterum desistere possidere, nihilominus poterit eodem modo cum conuenire. Argumentum enim desumitur nequit ab oblatione ad item. In hac quippe reus nil praefstat, nisi quia se obtulit, et quia actoris interfuit non decipi; cessat itaque obligatio, vbi tempestive dolum purgauit, et vbi se non possidere actori indicauit. Longe aliter tota res in eo est, qui desit possidere. Obligatus erat etiam antea quam possidere desit, tanquam verus possessor, nullo modo ergo hoc vitium purgare potest, exinde quod actor sciuit se non possidere. In oblatione ad item fundamentum obligationis positum est in dolosa deceptione actoris; in hac autem specie factae possessionis, fundamentum est in amissione possessionis vel ex dolo praeterito vel praesenti facta, cuius effectus nunquam tollitur, per scientiam, damno affecti.

CA-

CAPVT SECUNDVM  
DE  
IVRIBVS CONTRA FICTVM POSSESSOREM  
COMPETENTIBVS.

---

## §. I.

Iam quod satis est ex mente legum eruimus, quis pro ficto habendus sit possessore, reslat ut iura contra eum prodita, pro modulo virium prosequamur; quo, partim de usu totius doctrinae, partim de accurata romanorum Ictorum philosophia circa hoc argumentum, certissimis constabit indicis. In hac autem explicatione commode vterque fictus possessor, qui desit possidere et qui liti se obtulit, coniungi poterit. Nam cum omnis ratio contra eos competentis actionis semper sit eadem, dolus nempe et deceptio alterius, eadem quoque contra hunc dolum comparata sunt remedia. Leges ipsae, eodem modo, vtriusque speciei faciunt mentionem; ita ut exemplum earum, optimo iure sequi possumus.

## §. II.

Multae quidem exstant leges, quae de iuribus contra fictum possessorem differentes, statuunt, illum esse condemnandum. Id autem scrupulum, tantum non omib[us] Ictis, qui de hac materia loquuntur, mouere solet, quomodo et in quid haec procedat condemnatio. Sic adsunt Doctores, qui strenue defendant, fictum possessorem in id tantum condemnari, quod actoris interfuit; se minime esse deceptum; non autem et in veram litis aestimationem. Alii demum concedunt

C 3

qui,

quidem eum qui desit possidere, ad omnem rem restituendam, ad que interesse praestandum posse conueniri, eum tamen qui liti se obtulit, in id tantum, quod interest actoris, e. c. in summis retardatae aut frustratae litis, esse obligatum q). Quid ergo secundum leges defendi queat, nunc erit perspiciendum.

### §. III.

Omnis fictus possessio dupli ratione condemnari potest; tam ad rei ipsius aestimationem praestandam, quam ad interesse actori solendum, se deceptum non esse. Ea quidem ratione ut arbitrio actoris omnino relictum sit, quoniam velit eligere obiectum suae petitionis. Perinde inquit L. 25. §. 8. ff. de Hered. Petit, *condemnandos, QVASI POSSIDERENT.* Nonne autem possessio ad rem ipsam, aut ad premium restituendum condemnatur? et L. 36. pr. de Rei Vind. *Qui petitorio iudicio vititur, ne frustra experiatur, requirere debet, an is cum quo insitiat actionem possessor sit, vel dolo desit possidere.* Nunquam autem per petitorum iudicium, interesse tantum retardati processus, sed vel ipsa res, vel aestimatio petitur r).

De eo qui liti se obtulit, idem asseritur in L. 13. §. 13. ff. de hered. petit. *Non solum autem ab eo hereditas peti potest, qui corpus hereditarium possidet, sed et si nihil, et videndum si non possidens, obtulerit tamen petit.*

q) Hanc inter alios opinionem A. FABER quoque, acutissimus ICtus, in Rationalibus ad Digesta Tit. de Rei Vind. ad L. 7. (in Tom. II. p. 402) et idem ad L. 13. §. 13. de Hered. Petit (l. c. p. 266) fouer. Sed quod mirandum, ipse tenax principii sui non est, dum l. c. §. 14. asserit: *Dolosum non vtili sed directa hereditatis petitione teneri, cum tamen per directam hereditatis petitionem aut hereditatem ipsam, aut aestimationem eius peritus.*

r) Eodem collinent L. 130. ff. de Reg. Inr. et L. 13. §. 14. ff. de Hered. Petit. verbis: *Hereditatis Petitione tenetur.*

*petitioni aut teneatur &c.* Nemo autem facile contendet interesse, quod quis illegitimum pro legitimo conuenerit possessore, hereditatem ipsam continere*s*).

Quod autem actor praeterea interesse tantum petere possit, relata aestimatione, vix dubitari potest, si consideres, neminem inuitum eogi posse, ad aestimationem rei propriae accipiendam, cum rem ipsam habere, manult. Si itaque actor praeuidet, fictum possessorem, non posse rem ipsam restituere, integrum illi erit, lite derelicta, interesse tantum petere, quod in refusione expensarum, et in retardatione processus consistere solet. Inuit hoc l. 45. ff. de hered. Petit. *aestimari* scilicet oportebit, quanti eius interfuit non decipi.

#### §. IV.

Ex duobas condemnari posse capitibus fictum possessorem hactenus assertum, num autem et fructus restituet, rei aut hereditatis, cuius habetur possessio? Equidem non dubitauerim, cum et fructus omnino pertineant ad interesse actoris, quod generaliter ipsi praestandum est. Vidimus quoque nunquam fictum possessorem dolo carere; dolosus autem homo, si pro possessore conuenitur vix effugiet characterem malae fidei possessoris *t*). Ad huius itaque regulas omnis quaestio de restituendis

*s*) Idem fere indigit L. 45. de Hered. Petit. L. 25. ff. de Rei Vind. et aliae innumeræ leges, quæ semper sic loquuntur, is qui se obtulit non *est absoluendus, est condemnandus*, per quæ verba legislator voluntatem suam declarat, condemnationem in totius obiecti litis aestimationem esse faciendam.

*t*) Verba Senatusconsulti in L. 2.c. §. 6. ff. de hered. Petit. relata, expresse fructum quoque fecerunt mentionem, ex quo colligi potest, et hos recte in aestimationis petitio includi. Praeterea clara exstat L. 25. §. 4. 9. ff. eod. secundum quam, non solum percepti sed et percipiendi fructus restituendi sunt a facto possessore.

tuendis fructibus est aleganda. Restituet ergo eodem modo, quo omnis simplex inuasor rerum alienarum malae fidei, ad restitutionem adigitur. Quorum principia aliunde nota, iam nolo repetere.

## §. V.

Quod ad modum attinet, determinandi, quid proprie sit restituendum, facile diuinari poterit, quod res ad iuramentum in item qualificari debeat; nec ratio abscondita erit. Agitur enim aduersus dolosum, et quaesito an debeatur, aliunde probata est; nil magis itaque naturale videri potest, quam in casu ordinario, etiam ordinaria remedia adhibere. Neque sine legibus loquimur, L. 68. ff. de Rei Vind. Si vero inquit, non potest restituere, si quidem dolo fecit, quominus possit: is quantum aduersarius in item sine villa taxatione iurauerit, damnandus est.

Integrum autem actor erit, vbi in item iurare non amat, pretio obiecti litis contentus, interesse praestationi renunciare. Huius causus mentionem facit Paulus in L. 71. ff. de Rei Vind. *Quod si possessio quidem dolo fecit, actor vero iurare non vult; sed quanti res sit aduersarium condemnari maluit, mos ei gerendus est.* Modo itaque aliunde actor pretium ipsius rei demonstrare possit, reus interesse remitto, omnino in illud est condemnandus. Quid autem si nulla ratione pretium explorari potest, nisi per iuramentum actoris? ordinaria iterum obtinet via. Si actor nec vult iurare, nec alia probatione uti potest, exitu caret tota lis, necesse est. Fictus possessio conueniri aut res iudicata executioni mandari nequit. Vnicum ergo superest auxilium, relictia priori actione, verum adire possessorem, ipsamque rem petere.

## §. VI.

## §. VI.

Interdum alia prorsus via, eaque longe commodiori ut licet actori, Quodsi enim is qui desit possidere, actionem eius rei quam abiecit nomine, contra tertium habet, vel ad rem ipsam repetendam, vel ad damnum in ea datum resarcendum, in actoris positum est arbitrio, vel exigendi aestimationem a facto possessore, vel adiligendi eum, ut cedat actiones suas contra tertium competentes. Quod si dolo malo (sunt verba l. 17. §. 1. ff. de Rei Vind.) ipse possessor desierit possidere, et aliquis hominem iniuria occiderit, aut pretium hominis, aut actiones suas praestare cogitur; utrum eorum voluerit actor. Saepe hic modus utilitate sua se commendabit; maxime tunc, vbi factus possessor ipse soluendo non est, et vbi ex propria sua persona aditus ad conueniendum tertium non tam facilis est accessu.

## §. VII.

In eo qui desit possidere, hic etiam cogitari potest casus, quod plures, unus post alterum fuerint possessores, et possessione se abdicaverint, sic ut inter plures ambularet possesso. Vnumquemque possessoris inflar tunc quidem teneri, vix dubitari potest.

In omnibus enim eadem adeat ratio idemque fundamentum obligationis, aequalis dolus; sic ut nullus allegare possit, cur a necessitate soluendi sit exemptus. Hoc autem e contra aequum erit, caeteros per unius praestationem liberari. Alias quippe lucrum actor haberet, quod cum damno alterius percipere, iniuriam satis L. 17. ff. de dolo malo sic illustrat nostram thesin: *Si plures dolo fecerint, et unus restituerit, omnes liberantur, quod si unus, quanti ea res est, praefiterit, puto adhuc caeteros liberari.* Cum autem omnes eodem modo teneantur actori, in huius est arbitrio, quem velit eligere: nec potest reus exceptione uti

D

plu-

plurium litis consortium, quia sufficit vnum ex pluribus eodem modo obligatis, elegisse.

### §. VIII.

Quod magis est, aliquando, possessori factio licebit, ab omni litis incommmodo et periculo sese liberare. Dum enim iudicem adit actor, itemque contra factum possessorem intentat fieri potest, quod verus rei possessor paratus sit ipse iudicium in se suscipere; et tunc quoad factum omnis cessat metus condemnationis. Ratio iam cessat obligationis; non decipitur, qui eum non possidere actor intelligit; iam effectu destituitur dolus facti possessoris, nec ullum exinde redundat damnum in actorem, cui rem potius ipsam vindicare, nunc est permissum. Sufficiat confirmationis causa allegasse l. 13, §. 14. ff. de Hered. Petit. *Sed si alius naetus possessionem, quam ego dolo malo amiseram paratus sit, iudicium pati Marcellus libro 4. digestorum tradidat, num forte euanescit, aduersus eum qui desit possidere, litis aestimatio et magis euanescere ait, nisi pertinentis interest u).*

Vnica tantum refertur exceptio in hac lege, vi cuius factus possessor nihilominus obligatus erit; si nempe actoris interest, ipsum potius quam possessorem verum conuenire. Casus vbi locus est huic exceptioni non latent. Vidimus enim, duplice modo factum obligari possessorem; 1) ad aestimationem rei, 2) ad interessu quo actor praeterea forsan potest demonstrare. Prior semper fere euanescit obligatio, vbi verus possessor ipse iudicium suscipere paratus est, nisi et hic ostenderit actor commodum, quod continua actione priori sit habi-

turus;

<sup>u)</sup> Conseruator etiam L. 95. §. 9. ff. de solut. et liberat, quae cum ytramque faciat paginam in hac materia, infra explicabitur.

turus; Posterior autem, obligatio ad interesse nempe, perdurabit, modo probatio non desit. Sic repetuntur a ficto possessori, sumptus litis, damnum quod ex retardato processu in ipsum redundat, aestimatio porro eius quod res interim est deterior facta quamvis possessor sit paratus, rem ipsam restituere. Inquies forsan, inutilem fore hanc disquisitionem cum nunquam verus possessor, se metipsum sit ingesturus. Sed omnino existet casus antea explicatus, quo verus possessor melius putat, litis incommodum statim subire, quam post temporum interwalla inquietari. Potest enim condemnato licet ficto, lis contra verum, varias ob causas, reiterari.

## §. IX.

Supereft illustris quaefio, quo nomine, qua ratione fictus possessor ad soluendum adstringatur? Responsio in omnibus Ictorum libris, eadem in promptu reperitur. In poenam doli condemnandus est fictus possessor. Non quidem falsa est haec responſio, sed minus accurate determinata, omnino illustratione indiget, cum a multis leges ad quas prouocant *w*) male intellectas credo. Fictus quidem possessor in poenam doli condemnatur; id autem in quod condemnatur, non soluendum est tanquam poena, sed tanquam aestimatio, vel interesse. Multum certe differt, an aliquis ad puniendum dolum aestimationem restituere teneatur; an autem ob dolum suum fit obligatus, certam suminam tanquam poenam soluere. Illud, non hoc in legibus afferitur, dum aiunt: *hoc nomine fictus possessor punitur; tenetur tamquam possessor; non est absoluendus, etc.* Argumentum quoque maximi ponderis exinde desumi potest; quod fictus possessor liberetur, si verus iudicium fuscipere et rem ipsam restituere vult. Si id quod sol-

D 2

uit

w) c. c. L. 69. ff. de Rei Vind.

uit poena est, nexus obligationis perduraret; quamvis itaque verus possessor restituisset, tamen ad poenam conueniri posset soluendam. Et nonne satis punitur dolus, si quis cogitur aestimationem eius, quod nunquam habuit, aut quod desit possidere, praestare?)?

Cur denique secundum L. 17. ff. de dolo malo, caeteri liberantur per vius praestationem, si actor poenam, non autem aestimationem accepisset?

### §. X.

Hac qua vidimus ratione fictus possessor ipse est obligatus. Sed num heredes eius si ipse ante litem contestatam mortuus est, eodem modo teneantur, perpendendum erit. Decidit eam quaestionem L. 52. ff. de Rei Vind. *Cum autem fundi possessor ante litem contestatam dolo malo fundum possidere desit, heredes eius, in rem quidem actionem sustinere cogendi non sunt, sed in factum alios aduersus eos reddi debet, pro quam restituere cogantur, quanto lacunates ex ea re facti fuerunt.* Non opus est interpretatione huius legis. Satis distincte traditur, in quoniam casu, quanam actione, et in quantum heredes conueniri possunt, secundum ius romanum. Praeterea autem iuris canonici principia in foris nostris adoptata, hodie successores obligant in tantum, quantum ex re defuncti ad ipsos peruenit. Sic etiam secundum quiritiuum iura, heredes in totam litis aestimationem et quoad interesse tenentur, vbi ex propria persona aliquid commiserunt, seu vbi ipsi dolo non carent. L. 42. ff. de Rei Vind.

### CA-

) Magni sunt errores qui ex contraria opinione, nempe tanquam poenam id solvi, in quod fictus condemnatur possessor, circa hanc doctrinam se exferunt; e. c. verum possessorem, non liberari per ficti solutionem; actionem contra fictum possessorem hodie evanescere, quia est penalitas, et eius generis alia. Nihil omnis

CAPVT TERTIVM

DE

IVRIBVS CONTRA POSSESSOREM VERVM  
COMPETENTIBVS.

MEMBRVM I.

*De iure quod fido possessori excusso contra verum rei possefforem competit.*

§. I.

Cum ius romanum tam laute nec vt mihi videtur iniuste, actori fitum possessorem conuenienti prospexerit, quaeri potest, an non et huic misero, qui poenas doli dedit maximas, aestimationemque praeflit, contra verum possessorem succurrat? In qua decidenda quaestione a me impetrare non possum, vt simpliciter eam, secundum plurimum ictorum exemplum, negarem. Probe assidue a se inuicem secernendi sunt casus, qui eodem modo quo factum ipsum est diuersum, decisionem quoque sibi postulant diuersam. Rem omnem ad duo momenta bene excutienda redire credo. 1) Num actor qui litis accepit aestimationem, obligatus sit, reo excusso, suas contra verum possesso-

D 3

rem

ominus autem defensa fuit a celeberrimis ictis, qui axiomatum, exinde prouentium, memores forsitan non fuerunt; vid. e. gr. P. MÜLLER ad Struvium exercitat. 10. th. 48. LAVTERRACH Colleg. theor. pract. titul. de Hered. Petit. §. 9. HOMBERGK ZV VACH l. c. §. 27. nostram e contra feantiam approbat GUNDLING ad ff. tit. de Hered. Petit. c. 2. §. 5.

rem, cedere actiones y)? 2) Num reus condemnatus ex sua persona, contra verum possessorem agere, et vel rem ipsam, vel solutam aestimationem repetere possit?

## §. II.

Ad primam quaestioneum quod attinet, distinctione quadam, in legibus quoque obvia ut licebit. Supra enim vidimus, fictum possessorem condemnari, vel ex dolo praesenti vel ex dolo praeterito. Illuc pertinet a) qui liti se obtulit et b) qui mala bonaue fide res occupatus alienas, ad intentionem actoris frustandam, possessione earum se abdicauit. Huc autem, qui ab initio dolo malo, bona inuasit, quae sciret ad se non pertinere, et quorum deinde possessionem amisit, non dolo sed culpa. De hac fictae possessionis specie intelligo L. 63. ff. de Rei Vind. In qua PAPINIANVS, si culpa inquit, nou fraude quis possessionem amiserit, quoniam pati debet aestimationem, audiendus erit a iudice, si desideret ut aduersarius actiones suas cedat 2). Hic ergo optimo iure cedantur ut sibi actiones ab auctore postulabit; quibus non solum contra tertium possessorem verum, sed quod magis est, etiam contra auctorem ipsum, si interim possessor factus, uti potest. Nec integrum est auctori qui semel aestimationem accepit, pecuniam acceptam reddere, remque sibi potius retinere. L. 63. alleg.

## §. III.

2) Principia generalia de cessione actionum, merito hic praeteriti possunt. Nam abstinentem censeo, ab his quae iam nota sunt, aut aliunde illustrationem accipere debent.

2) Quamvis mentionem *doli praeteriti* lex expresse non faciat, nihilominus salua analogia saluisque caeteris legibus, de nullo alio casu intelligi potest. Nunquam enim is qui culpa desit possidere, ad aestimationem praefandam obligatur, nisi antea dolose fuerit versatus. Quomodo l. 19. §. 2. ff. de Hered. Petit, quae his obstat videtur sit intelligenda, supra C. I. Membr. III. §. 1. n. O. innotescit.

## §. III.

Longe durius proceditur contra eum qui ob dolum praesentem est condemnatus. Nam quoad hunc omnis cedendarum actionum spes in fumum abit per L. 69. ff. de Rei Vind. vbi Paulus: *Is qui dolo facit, quominus possideret, hoc quoque nomine punitur, quod auctor caueri ei non debeat actiones, quas eius rei nomine habet, se ei praeflaturum.* Non itaque praefstat actiones, antequam aestimationem accepit actor; sed nec etiam adigi potest ut cautionem de praeflandis in posterum actionibus, interponat. Quod quidem optima ex ratione sic constitutum censeo a). Nam reus ipse, per eandem actionem realem quae contra verum possessorem institui potuisse, est condemnatus; inefficax ergo inutilisque ex hac ratione facta ipsi cedi non potest.

Quid enim cederetur? actio quae vires quas habuit amisit; id est: nulla. Nullius autem entis nulla sunt praedicata.

## §. IV.

Non leue dubium oriri potest, ex praefantissima illa l. 12. ff. de re iudicata, quae ad illustrationem materiae de cedendis actionibus multum contribuere potest. Verbis hisce vitur MARCELLVS Ictus: *In depositi vel commodati iudicio quamquam dolo aduersarii res absit, condemnato succurri solet, vt ei actionibus suis dominus cedat b).* Sed minime obstat principiis in §pho antecedente defensis; et duplex suppetit

a) optime rationes subducit A. FABER in rationalibus ad Pandectaras Tit. de Rei Vind.

ad L. 69. p. 486. Quid enim inquit, absurdins quam cedi condamnato eam ipsam actionem ex qua sit condemnatus? Multo minus cogendus est petitio, cauere de actionibus cedendis. Nec enim tam facile est cauere, quam actiones praefiare.

b) Iterum legi merentur, quae habet FABER l. c. p. 486. sequ.

tit responsio contra eam. 1) Loquitur enim lex de tali casu, vbi reus caussam possidendi a domino accepit, in L. 69. autem reus vel ipse possessionem apprehenderat, vel ab alio quam domino acceperat. 2) In L. 12. cit. actio qua reus conuenitur, est actio ex contractu, depositi nempe vel commodati; superest ergo realis actio contra verum possessorem, quae reo cedi poterat; sed in L. 69. de Rei Vind. per actionem realem reus excusus erat; nulla itaque remansit actio efficax reo cedenda c); quodsi autem deficit obiectum cessionis, ipsa actio ut deficiat, necesse est.

### §. V.

Sed et hoc contra meam explicationem moneri posse, auguror. Si reus ex dolo praeterito condemnatus est, ad praestandam aestimationem, et quidem actione reali utili cogitur, quomodo §. 2. vidimus. Tenetur autem et in hoc casu actor, suas reo cedere actiones, ergo falsa videtur regula, quod actio iam excussa, amplius cedi nequeat. Sed non ita. Multum sine dubio interest, inter dolum praeteritum et praesentem; in illo factus possessor proprie non punitur, quia possidere desiit; sed quia id, quod antea dolose erat occupatum possidere desiit. In hoc autem maior omnino venit dolus; quia animo nocendi possessione factus possessor se abdicat, ad alterum circumueniendum.

In

c) Non possum adstipulari HUBERO in Praelect. ad ff. lit. de Rei Vind. §. 5. qui contendit, quoniam reus non possit exigere, ut actor ipsi de cedendis actionibus cedat; tamen officium iudicis implorari posse, ut viito dominus sibi absque praecidicio suo actiones praeclave inbeat, secund. l. 12. ff. de Re ind. Quid sibi veli HUBERVS, non intelligo, nil aliud hoc esset, quam, immutatis aut inversis verbis obtainere, quod directe obtaineris non erat. Legem 12. cit. neutiquam ostare satis demonstratum credo, nec per rerum naturam in casu leg. 69. alleg. cessionem cogitari posse, quilibet perspiciet. Haec sufficiant contra Huberum.

In illo quidem aestimatio soluenda est, magis autem ex actione in factum ad interesse, quam ex reali, cum culpa proprie alteri imputari nequeat; realis actio in rerum natura esse non definit, et pro lubitu reo cedi tradique potest. In hoc autem, dolo nempe praesenti, condemnatus reus, nullo iuris praetextu actionem realem esugere potest, quia statim dolose egit, magisque ex proposito actori nocuit. Absurdum itaque esset eam actionem alicui cedere, per quam ipse est condemnatus.

## §. VI.

Restat alterum momentum, num reus excusus, propria ex persona verum possessorem conuenire et vel rem ipsam vel solutam aestimationem repetere possit? Mitiores in decidenda hac quam in priori quaestione esse possumus. Nec enim legislatores voluerunt, ut omni effectu quoad ipsos careat solutio aestimationis. De singulis ergo videamus speciebus. Is qui liti se obtulit, contra verum possessorem, actionem habebit proprio nomine, si antea bonae fidei possessor, absque dolo possessionem amisit, et hoc fine tantummodo, ut actor circumveniretur, se adhuc possidere affirmavit; tunc enim aestimatione actori praesita, rei vindicationem contra verum possessorem omnino instituere potest. Is porro qui desiit possidere, proprio nomine verum conueniet possessorem, si hoc factum fuerit, absque onerosa vel gratuita in eum translatione; si verus possessor, obiectum litis nec consensu rei, possidet, nec titulum ab eo accepit. Generatim haec regula stru obseruarique potest. Fictus possessor condemnatus toties proprio nomine contra verum possessorem, vel etiam contra alium agere potest, quoties nexus obligationis, inter illum et verum possessorem vel quemcunque tertium sublatu nondum est. Facile haec regula in singulis casibus applicari poterit.

E

Sunt

Sunt etiam argumenta legum hanc vituperanda; sic in L. 17. §. 1.  
ff. de Rei Vind. Quod si dolo malo ipse possessor desierit possidere et aliquis  
hominem iniuria occiderit, aut pretium hominis, aut actiones suas praefla-  
re cogetur: utrum eorum voluerit actor. In casu relato non quidem  
contra verum possessorem actione institui potest, cum talis cogitari ne-  
queat, quia obiectum factae possessionis non amplius existit; actori au-  
tem nihilominus duplex permittitur via agendi. 1) Contra factum pos-  
sessorum ad aestimationem soluendam. 2) Contra tertium qui homi-  
nem occiderat, per cessam actionem legis aquilae.

Necesse ergo est, ut reus ipse actionem legis Aquilae proprio no-  
mine instituere potuisset, quippe alias cessioni locus non fuisset. Simi-  
liter ad normam huius legis, in reliquis casibus iudicari potest; vbi ea-  
dem analogia eademque ratio, actionem contra verum possessorem vel  
quemcunque tertium dari suadet.

### §. VIII.

Hactenus assertis obstat videtur, sed reuera non obstat L. 70 ff.  
de Rei Vind. in qua Pomponius nec quasi inquit publicianam quidem actionem ei dandam placuit, ne in potestate cuiusque sit per rapinam ab invito domino rem iusto pretio comparare. Loquitur ICtus in antecedentibus de illa factae possessionis specie, qua quis dolo desit possidere, sed nil obstat, quominus idem de omnibus factis possessoribus asseri queat. Denegatur illi actionis publicanae auxilium; haec exinde competit, quia actor fortius ius possidendi habet reo; cum autem hoc iure possi-  
dendi proprio nomine gaudeat, sequi videtur, omnes actiones quoad rem ipsam aut quoad aestimationem illi esse denegatas. Sed non ita:  
Ratio cur publicanae actioni locus esse nequit, duplex afferri potest.  
1) Praesupponit illa titulum ed bonam fidem; Quod si ergo titulus adesset, ta-

men

men non potest non bona fides in eo deesse, qui dolo definit possidere; aut qui dolose possessorem se simulauit. 2) Altera ratio haec est: actio publiciana est remedium praetorium. Praetores in dandis actionibus aequitatem spectarunt, quam contra ius ciuile supplere, et iniustitiae naevos tollere studuerunt. Nulla itaque ratione auxilium honorariae actionis, doloso homini, qui ipse aequitatem omnem deponit, superesse poterat. Ad hunc ergo casum specialem prohibitionis est restringenda, quia speciales prohibitionis caussae adsunt: quae si cessant et applicationem respuunt fictus possessor verum rei possessorem omnino conuenire, vel a tertio etiam damni restitutionem aequalitatemque, optimo iure postulare potest.

## MEMBRVM II.

*De iure quod actori, ficto possessore excusso, contra verum possessorem competit.*

### §. I.

Si vñquam quaestio juris, aut axioma quoddam, vñanimi consensu ictorum est celebratum, hoc certe referre debebit disquisitio, an, ficto possessore iam excusso adhuc res ipsa a vero possessore possit peti. Tantum non omnes Doctores sint prími vel infimi ordinis, sicut magnae aut minimae aut nullius plane auctoritatis, uno affirmant ore, verum possessorum omnino conueniri posse ad rem ipsam praefandam, quamvis actor fictum iam excusserit *a).* Toties iam repetita sunt argu-

E 2 menta

*a)* Quosdam tantum illustriorum, sine ullius praecidicio afferre licet, sic DONEL-  
LVS in commentariis ad ius ciuile hanc sicut sententiam in Libr. 19. c. 12.  
n. 10.

menta huius opinionis; quoties nouis extitit, eiusdem defensor. Neque hoc negari potest, adesse leges, quae sententiam eorum affirmare et corroborare utique videntur, sic ut facile quilibet perduci possit, eandem amplecti sententiam, quae primo intuitu tot legibus conformis apparet. Sed nihilominus liceat periculum facere, quomodo aliter haec doctrina explicari et leges sibi obstantes remoueri possint. Cum autem ad eadem principia, omnes casus reduci ac renocari non possint, necesse est, ut caute ac distincte procedam, tam in explicando, quam in aliorum remouendis dubiis; hoc certe probari posse, spero, quod actor nulla ratione verum conuenire possit possessorem, vbi aestimatio nem ipsius rei a ficto iam obtinuit e).

## §. II.

In decidenda quaestione, an actor excusso ficto, verum possessorem conuenire possit, nec ne, vtile erit primo loco; quid ius naturae, quid analogia statuet, disquirere. Vidimus nempe iam dudum, omne fundamentum cur fictus possessio in genere obligatus est, iuri naturali omnino deberi. Idem quoque ius non vult ut quis ex damno

n. IO. 70. p. 1113. CVIACIVS in observationibus Libr. 22. obs. 29. STRYVIVS exercitationib. iur. civil. exerc. 10. §. 48. BERGER Oeconomia Iuris tit. 4. Lib. 2. §. 54. not. s. NOQD commentario ad Digesta tit. de Rei Vind. p. 158 (edit. 1732. Colon. Agrip.) LAVTERBACH Colleg. Theor. pract. Tit. de hereditat. Petit. §. 9. HUBER Praelectionibus ad ff. tit. de hereditat. Petit. §. 7. GUNDLING Diss. de Rei Vindicatione cap. 2. §. 22. ADIGN. TYRIN de ficto possessore §. 9. HOMBERG ZV VACH de oblatione ad item §. 27.

Vnica fere hanc defendit opinionem ICtus celeberrimus I. H. BOEHMER in Introductione ad ius Digestorum tit. de hereditat. Petit. §. 4. qui autem nec argumenta eius sententiae exponit, nec etiam dubiis aduersiorum, quae sunt maxima, satisfacit.

alterius fiat locupletior; nec magis approbat, vt sub nomine mutato, rem suam aliquis bis accipiat; quod tunc omnino fieret, ubi actor, aestimatione accepta rem ipsam adhuc petere possit. Constituit potius ut qui sciens pretium accepit, rei dominium in alterum transtulisse videatur; vt dolo non caret, qui sub illo praetextu, rem et pretium simul habere cupit. Haec omnia aequitati conuenire quilibet aequus homo concedet. Iniquum ergo detestandumque esset ius positivum, nisi eadem sequeretur principia; si regulis iuris naturae contrarium, permitteret, sub praetextu iuris rem et pretium simul extorquere et sibi pessimo foeneratorum generi, privilegium artis odiosae illicitae trahueret. Certe non exspectabis ejusmodi principia in illius populi Iurisprudentia adoptata, quod legislatoribus gloriatur bonis et aequis, quod floruit Ictis quam plurimis, usque ingenii dotibus excellentibus. Quamuis autem omnes fere non erubescant, hanc iniuriam Quiritibus inuovere, longe tamen vt mihi videtur abest, quod dici possit promerita.

In cap. II. §. 3. huius Dissertat. probare natus sum, duplicitatione factum possessorem conueniri, duplicitique modo condemnari posse. Actor nempe vel aestimationem seu pretium hereditatis aut rei singularis petit; vel dum ipsi magis ardidet rem habere, quam pretium, ad interesse tantum, retardati forsitan processus, adque expensas litis refundendas agit. Probe inter haec diuerfa plana actionis capita distingendum erit, ad nostram decidendam questionem. Nam actor, si a ficto possessore omnia consequitus est, ad quae praestanda ipsi obligatus erat; id est si pretium rei et interesse simul accepit, nulla ratione

E 3. manu scripta in libro 19. folio 19. recto. in anno 1710. anno 1710.

rem

rem a vero possessore iterum petere potest, sed liberatur hic et opponit exceptionem *doli f.*

Quodsi autem actor perspicit, reum cum vere non possidet, nec posse restituere eam rem, quam in natura recuperare amat; quodsi tunc interesse tantum, non et aestimationem petit, nil obstat, quo minus verum possessorem ad rem ipsam conueniri possit, quamvis fictus excusus esset.

Haec omnia, legibus quae illa actionis diuersa obiecta satis discernunt, et ceterae analogiae tam consentanea credo, ne opus esset, aliis argumentis, aliisque legibus in medium vocatis vti, sed ad illustrandam et magis firmandam hanc sententiam, multa adsunt et alia veritatis indicia.

#### §. IV.

Primum est argumentum, quod ex l. 46. ff. de Rei Vind. desumitur, in qua PAVLVS ait: *Eius rei quae per in rem actionem petita, tanti aestimata est, quanti in item actor iurauerit: dominium statim ad possessorem pertinet, transfigisse enim cum eo et decidisse videor eo pretio, quod ipse constituit.* Clare indicant haec verba, actorem, dum per iuramentum in item aestimatum accepit pretium, rei ipsius transtulisse et amississe dominium; et cum generaliter loquatur lex allegata, re-

ugit hoc in similibus summis actionibus, ut videtur.   
 f) Eadem defendit quidem FABER in rationalibus ad ff. tit. de Rei Vind. ad L. 7. (in Tom. II. p. 402) qui nempe inquit, si malit actor rem suam habere quam eam pretio etiam instituto vendere. Nam si a condemnato consequitus sit aestimationem taxatam per insurandum in item non est ei permittendum ut rem suam iterum petat a possessore cum iam consecutus eam videatur. *Improbis ergo Rebus enim est, qui eandem rem vult bis consequi etiam ab alio etc. - - - Alia enim est, cum id quod quis prius consecutus fuit, nihil nisi poena est.* Non enim ideo actor rem suam petere etiam ab eodem prohibetur etc. Sed mox inconveniens propriae opinionis in contrarium inclinare videtur sententiam,

stringi nequit ad illum casum, quo quis contra eum agit qui culposam ipsam restituere nequit. Quod codem modo et confirmant L. 1. et 3. ff. Pro emtore.

Quod si autem nullum apud actorem remanet dominium, quo titulo actionem realem contra verum possessorum instituet; quum haec semper praefuponat ius aliquod in re ipsa fundatum?

Nec id dubium facere potest, quod sic verus possessor aliquando ignorans liberaretur, vel quod rei accipiat dominium, quamvis ab ipso nihil sit solutum. Nam secundum L. 23. ff. de solut. et liberat. iniuiti et ignorantibus liberari possumus, si vel alter pro nobis soluit, vel iudicium pro nobis accipere vult. Deinde verus possessor propterea non sit dominus, quia actor eum conuenire nequit. Vidimus enim quod omnino fieri possit, ut fictus possessor actionem contra illum instituat proprio nomine; tunc ergo adigi potest, ad rem restituendam, vel ad pretium solutum refundendum; quamvis actio eius qui aestimationem accepit, quoad illum, inefficax et inutilis dudum facta sit.

### §. V.

Ad aliud progredior argumentum huius sententiae, quod nempe in eo consistit: Nunquam licitum est, omni remota aequitate, unam eandemque rem, bis petere, et sic pessimo lucro operam dare. Sequerentur hanc regulam omnes iudices, quamvis expresse eam non iuberet l. 47. ff. de Regul. iuris, aliaeque innumerae constitutiones. Quis autem non perspicit, actorem reuera idem bis petere, qui aestimatione non contentus, ipsam rem auferre cupit? Non ignota est regula: Res succedit in locum pretii, et pretium in locum rei, quam toties omni occasione leges inculcant, speciatim in L. 1. C. de castrensi pecul. milit. L. 16. §. 1. et L. 22. ff. de hered. petit. et certum est non solum in

vniuersitatibus juris, sed etiam in singulis rebus, quoad hunc effectum, validam constantemque esse hanc regulam. Nam si aliquis consentit in pretium rei singularis accipendum, quomodo tunc recedere et rem eo praetextu repetere poterit, quia pretium in locum eius non succedat. Ad vim huius argumenti effringendam Doctores sic ratiocinantur. Actor qui factum possessorem, reali vtili actione conuenit, pretium rei neutquam accepit, sed poenam doli tantum obtinuit g); iniquum autem non est, poenam et rem simul vindicare. Praequidi hocce dubium, eaque de causa, supra operam nanaui demonstrare, quod factus quidem possessor, in poenam doli ad soluendum adigatur; non autem poena est quod soluit, sed vt puniatur leges eum ad aestimationem praefandam obligarunt. Nolo itaque repetere, quae iam antea a me dicta sunt, et quae responsem huius dubii continere videntur.

## §. VI.

Nec deficiunt casus similes, in quibus ad analogiam in eodem modum leges expresse constituerunt. Sic in L. 14. ff. de Rei Vindicat. refertur casus, in quo dominus rem a possessore vindicare potest; sed quia ab alio haec deteriorata et damnum in illa iniuria datum erat, actio quoque legis aquilie contra illum tertium competit; utraque domino patet; non autem simul, sed electio tantum patet, qua velit vti; et dum legis aquilie praefert, possessor liberatur. Verba legis haec sunt: *Quod si malit actor potius legis aquilie actione vti, absoluendus est possessor. Itaque electio actori danda est, non ut triplum sed duplum consequatur.* Nullam video rationem disparitatis, inter hunc casum

g) Sic e. gr. argumentatus est Coccoe in Iure Controv. Tit. de Hered. Petit. quæst. 4.

sum et eum quo dominus agere potest vel contra factum possessorem ad aestimationem soluendam, vel contra verum, ad rem ipsam restituendam. Ergo et hoc si prior magis arridet modus, verus liberatur possessor; electio non autem cumulatio, utriusque actionis domino est concedenda.

Alterum exemplum quod ad nostrum casum decidendum, non leue afferit pondus, reperitur in lege hactenus quantum scio non in medium vocata; est nempe L. 8. ff. de interrogacionib. in iure faciend. cuius verba necesse est ut adducam: Paulus si quis inquit interrogatus de seruo, qui damnum dedit, respondit suum esse seruum: tenebitur lege aquilia quasi dominus, et si cum eo actum sit, qui respondet, DOMINVS EA ACTIONE LIBERAT VR.

Non indiget haec lex verboso interprete. Quilibet factum intelligit, quilibet decisionem animaduertet. Sed spero etiam, similitudinem eius cum nostra quaestione non posse non in oculos statim incurrere eius qui re accurate ponderata, veritatem noscere cupit. Loquitur enim lex de actione contra factum possessorem instituenda, eum nempe qui liti se obtulit; clare ac distincte constituit, dominum contra quem eadem actio institui poterat, tunc liberari, vbi cum facto possessore actum sit. Cur itaque dubitaremus de litis oblatione, de dolo eius qui desit possidere idem statuere, si in hereditatis petitione aut rei vindicatione, obuenient? cum tamen in his casibus ob paritatem rationis, adem quoque obseruanda sint principia. Optimo iure locum sibi vindicant verba L. 12. ff. de Legibus, non possunt omnes articuli sigillatim aut legibus aut Senatusconsultis comprehendi: sed cum in aliqua causa sententia earum manifesta est, is qui iurisdictione praefest, ad similia procedere, atque ita ius dicere debet.

## §. VII.

Quamvis itaque dominus nulla ratione verum possessorem conuenire possit, ad rem ipsam restituendam, cuius iam aestimationem accepit, tamen hoc ipsi est concedendum, quod actione contra factum instituta, hanc vel in totum relinquere, vel interesse tantum petere et sic actionem realem contra verum possessorem instituere queat, ad rem suam recipiendam. Integrum hoc ei est, si mault rem quam pretium habere; immo integrum est, omni tempore, tam initio litis, quam post facti possessoris condemnationem ipsam, si animaduertit, se ab hoc non posse rem obtinere. Alias iniquum fuisset actorem constringere, ad rem suam pro iusto pretio in alterum transferendam, cum semper emtiones coactae in iure prohibeantur. Nec id dubium videri potest, quod post reum semel electum alius conueniri nequeat. Solutio enim non electio refertur inter modos tollendi obligationem ut in l. 1. §. 43. ff. depositi vel contra expresse legitur.

## §. VIII.

Haec tenus stabilita defensaque theoria legibus et Analogiae tam conueniens est, tam accurate aequitat et bonae fidei conuenit, vt in iudicando sequenda, et retinenda videatur; quamvis una vel altera adsit lex quae contrariam suadere et oppositam iubere sibi assumat; numero enim ac pondere haec vinceretur ab illis quae nostram suadent sententiam. Sed eo magis haec sequenda est, cum quae illi contraria afferuntur, optime cum ceteris conciliari queant. Caeterum me non fugit, multa afferri a doctis viris dubia ex ipsis legibus deponita, quae et in causa fuerunt, cur in omnia alia abirent, et cur aequiorem sententiam postponerent, ei quae in legibus fundata non est. Sic pri-

mo

mo loco contra nos hoc insurgunt argumento: secundum L. 69 et 70.  
*ff. de Rei Vindicat, actor non tenetur suas contra verum possessorem reo cedere actiones; necesse itaque est, ut ipse dominus habeat facultatem eas instituendi.* Quamvis autem illud verum sit, tamen consequentia neganda erit. Supra enim ratio euoluta est, cur dominus ad actiones cedendas cogi nequit; quia nempe ficto possessori per quam ipse actionem iam condemnatus est, amplius eadem cedi nequit; quamvis nec actori pateat cum suum per illam persequutus est. Habuit enim actionem directam contra verum possessorem; habuit et actionem vitalem contra fictum; hac instituta et excussa necesse est, ut illa sit exincta.

## §. IX.

Deinde quod magis est, ad expressos confugunt textus, ex quibus demonstrare volunt, verum possessorem non liberari per aestimationis ficti praestationem. Obiiciunt verba L. 13. §. 14. ff. de Hered. Pet. in qua **VLPIANVS**: *Sed si is qui dolo desit ante conueniatur, eum qui possidet non liberabit h.* Non obstat haec lex, sed magis confirmatoria est nostrae sententiae. Affirmatur tantum, quod per solam conventionem ficti, neutquam verus liberaretur, nulla sit mentio, iam praelestae aestimationis, ergo astipulatur illis, quae in §pho VII. huius cap. sunt dicta; quod usque ad executionem ab electione recedi possit. Eodem tendit L. 7. ff. de Rei vindicat. *Si is qui obtulit se fundi vindicationi damnatus est, nihilominus a possessore recte petitur, sicut PEDIUS*

F 2 ait.

<sup>h)</sup> Notare licet erratum typographi, quod contrarium plane sensum producere potest.

Legitur enim in editione corporis Iuris GOTTHORF. d. a. 1720: *eum qui possidet liberabit.* In edit. eiusdem d. a. 1740. autem purgatum est hoc viatum, et non liberabit restitutum est; Hanc lectionem esse rectam facile perspici potest; praeterea que glossa eam probet.

ait. De eo casu intelligamus legem, de quo intelligi vult; *condemnatus* erat fictus possessor, non autem *praefliterat*. Dominus ante executionem desistit quia rem potius quam pretium habere cupit; tunc absque omni dubio secundum §. VII. verus possessor obligatus est, cum actio realis nondum potest dici inutilis, et inefficax quoad illum.

Maius dubium certe obstat ex famosa L. 95. §. 9. ff. de solutionib. et liberat. desumptum, in qua **PAPINIANVS** de ficto possessore verba faciens, ait: *caeterum si tu ante conuentus ex praeterito dolo praefliteris nihil ea res possessori proderit.* Verum est possunt haec verba dubitationem omnino iniicere; sed quid si re vera obstarerit? nonne nostram nihilominus praefieres opinionem, quae tot aliis innixa legibus, tot suffulta argumentis, per unicam vincit non potest contrariam legem? Sed hisce opus non est. Videamus an commodiori via explicari, et cum defensa theoria conciliari queat. Ante omnia in mente revocare velis, duplii modo fictum possessorem condemnari posse; vel ad aestimationem rei praefstandam, vel ad interesse tantum, retardati litis et reliqui damni, quod in actorem per conuentionem eius redundat. Lex praefens loquitur de casu vbi fictus possessor praeslituit; sed quid praefliterit non determinatur, suppleamus itaque legem, sed ita procedamus ut cum analogia, et reliquis conueniat legibus. Ergo intelligamus eam de casu vbi fictus possessor conuentus, interesse non autem vbi aestimationem praeflituit. Tunc quam optime systemati nostro conuenit, immo confirmat, quia et nos contendimus, verum possessorem non liberari, si interesse damni tantum accepit dominus. Nonne necessè est, ut aliquo modo incompletam legis decisionem suppleamus? quod autem optimum erit supplementum? Certe illud, quod aequitas, quod innumerae aliae leges, quod omnis analogia suradent.

De-

Deinde et hoc moneri potest: dicitur in illa leg. 95. §. 9. *nihil ea res possessori proderit.* Doctores qui nostrae contrariam fouent sententiam, parati sunt, haec verba sic intelligere, quod secundum illa dominus accepto preto rem petere possit; sed nonne vidimus, verum possessorem non statim esse liberatum, vbi dominus contra eum actionem instituere nequit? nonne et fictus possessor interdum proprio nomine ipse verum conuenire potest? Scimus in omnibus legibus subesse factum aliquod singulare, ad quod datur responsio. Quid, si in praesenti tali adsuisset, in quo fictus possessor excusus proprio nomine contra verum agere potuisset? Nonne eodem iure haec verba ad fictum possessorum quam ad dominum referri possent?

## §. X.

Haec sunt quae pro mea afferre volui sententia. Proposui, quantum exiguitas ingenii non exercitati, et curta supellex cognitionis meae id permitteret, etiam puncta contrariae sententiae, sic ut quam quisque sibi eligere velit, habeat ad eligendum. Incundum erit dulceque, vbi quae dixi, ad veritatem indagandam et excutiendam, aliquid contribuere possunt.

## CAPVT QVARTVM.

DE VSV HODIERNO MATERIAE DE FICTA  
POSSESSIONE.

## §. I.

**C**oronidis loco de vnu liniis doctrinae quaedam afferre licet. Vix dubitari potest, quin Romanorum leges in hoc etiam capite, rite sint obseruandae sequendaeque. Militat pro eo ius romanum in folle apud nos receptum, a quo recedere nefas omnino habendum est, nisi vel rationis disparitas doceri, vel discrimen inter nostrum et romanum statum publicum ad quem materia aliqua se refert, liquido demonstrari possit. Haec omnia ad fictam possessionem applicata, non possunt non viridem eius obseruatim apud nos quantum satis est testari. Statum priuatum haec omnia non et publicum respiciunt. Sunt et apud nos qui dolo cuiuscunq; generis indulgent; qui callide versantur, vt alii damnuni incurant. Sunt et apud nos homines pessimi generis, qui vel liti se offerunt, vel possidere desinunt, nullo alio fine, quam vt laedantur alteri. Quodsi itaque necessitas eadem, morbus idem quam apud romanos, cur non et eadem adhiberetur salutaris medicina?

## §. II.

Nec contra vsum huius materiae exinde insurgere possumus, quod actiones poenales romanae, apud nos non sint vnu receptae i). Vidi-  
mus

¶ Litem super vnu actionum poenalem in praesenti meam facere nolo. Litigent ma-  
gnis voluminibus Doctores, quando otium et altercandi libido ipsis praebebat  
licitis materiam.

mus enim actionem contra fictum possessorem instituendam, realem  
vtilem esse nec pro poenali vñquam haberi posse. Verum est, con-  
demnatur fictus possessor in poenam doli; non autem condemnatur ad  
poenam soluendam, vt in actionibus poenalibus requiritur, sed con-  
demnatur, ad aestimationem ad intereste praefundum.

Nec magis refert, aut dubitationem iniicere potest, quod apud  
nos non tam facile existent fieri possessores, qui vel liti se offerunt,  
vel possidere desinunt. Verum est argumentum. Adeas iudices, adeas  
aduocatos de exemplis rogat; et raro veteranus occurret, qui litis hu-  
ius generis recordari et exemplum in medium proferre potest. Num  
autem haec non vsum ipsius monstrant? Nullo modo. Quis est, qui  
probare assunit, apud Romanos frequentius condemnatos esse fictos  
possessores?

Sufficit scire, quomodo sint condemnandi, in casu vbi adsunt.  
Nunquam ictus philosophi more examen instituit, an casus quem legis-  
lator sibi cogitauit, possit existere nec ne; ad eius spectat prouinciam  
*scire et applicare* vbi occasio data fuerit.

### §. III.

Quamdiu ergo ius romanum per leges germanicos non reperitur  
immutatum tam diu, pro eius valore militat praesumtio. Ne autem  
omnis praxis huic materiae deesse videatur, propterque casuum rarita-  
tem, in Spho antecedente relatam, non a re erit, duas referre senten-  
tias contra fictum latas possessorem.

Prima ex *M E V I I Decisionibus Part. III. Dec. 98.* est desumita.  
Foemina diu cum alio super iure seruitutis ratione aedium competen-  
tis, litigauerat; deinde obiecit, se non esse dominam aedium, sed fra-  
trem.

trem. Condemnata est, tanquam liti se obtulisset. Sic iudicatum.  
In causa Alard Sitmanns contra Sophiam Horns d. 13. Febr. 1655.

Alterum exemplum quod hereditatis petitionem ipsam concernit,  
praebet H V B E R in Praelectionib. ad Pand. tit. de Hered. Petit. §. 6.  
Foemina nobilis e viuis excesserat, herede forore degente in Artesia.  
Aguata defunctæ gnara se non esse heredem, intascerat hereditatem. Ea-  
dem petitio commissario curiae, bona curauit describi, impensas fecit ma-  
ximas, ipsa bona p[ro]e manibus quae erant distraxit auctione publica.  
Superueniens heres, conuenit agnatam, petens se heredem declarari, il-  
lamque condemnari ad hereditatem in pristinum statum sibiique resti-  
tuendam, sine mentione eius quod interesset. Quia hoc fieri non poterat,  
multi adfuerunt, qui in epte actum existimarent. Sed nihilominus quia  
desit possidere, rea condemnata est; in causa Annae Agnetis B. de  
Swartsonberg, viduae de Hauteville contra A. R. viduam de S. 1679.

P. 240

## T A N T V M

---

pag. 34. §. VIII. vlt. lin. et pro ed

**ULB Halle**  
004 588 452

3




nur 1 Stück f



B.I.G.

Black



G.27.num.9.

1778, 3

12

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
EO QVOD IVRIS EST CIRCA  
FICTAM POSSESSIONEM

MAXIME QVOAD REI VINDICATIONEM ET  
HEREDITATIS PETITIONEM

Q V A M  
SVB AVSPICIIS REGIIS

CONSENTIENTE  
ILLVSTRI ICTORVM ORDINE

P R O  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS  
DIE XXVIII. FEBRVARII CIJ IOCC LXXVIII.

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES HENRICVS CHRISTIANVS ERXLEBEN

QVEDLINEVRGENSIS  
NOTARIUS CAESAREVS PVBlicVS ET ADVOcATVS IN SVMMQ  
APPELLATIONVM QVOD CELLIS VIGET TRIBVNALI  
IMMATRICVLATVS.

GOTTINGAE,

Litteris IOH. CHRIST. DIETERICH  
ACAD. TYPOGR.

